

D. A. G.  
DISSERTATIO MATHEMATICO-PHYSICA,

# DOCTRINAM GRAVITATIS LEVITER ADUMBRANS,

Cujus  
PARTEM PRIMAM,  
CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS.  
IN REG. AD AURAM ACADEMIA,

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT  
AUCTOR

# J O H A N N E S P I H L M A N

ET  
RESPONDENS  
LAURENTIUS JOHANNES  
H E D E E N ,

BOREA-FENNONES,

In AUDIT. MAIORI, Die XXX. April.  
Anni MDCCCLXIII.

H. A. M. S.

---

A B O ÄE,  
Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Enke - Prostinnan  
Högadla  
**Fru BRITA MONTIN**  
Född PECHLIN,  
Min Huldaste Fru Mormoder.

**N**e med bewista välgärningar en ren tacksamhet ständigt  
bör vara förknippad, är så tilbörligt som ett sunt för-  
nuft likmäktigt.

I följe härav har jag således vid detta tillfälle ej funnat  
åsidosätta, at medelst dessa chyssade rader biuda til at framtee et  
ehuru otiträckeligt wedermåle af min wördnadfsfulla erkänsla,  
emot de mångfaldiga af Eder, min Huldaste Fru Mormoder,  
mig bewiste ömheters prof.

Den Högste hade uti min spådaste barndom ej så snart  
til sina himmelska glädje-boningar hådankallat en huld och kär  
Moder, som mitt irakade tilstånd rörde Edert ömma och blö-  
dande hierta. Den huldhed, kärlek och godhet jag åfwen alt  
sedan erfarit, är så stor, at des rätta afkildrande wida öf-  
verträffar min ringa förmåga; Mitt uppsät bliswer således at  
hellre uti et tacksmärt minne wörda, än med illa afpassade ord  
fördunkla den somma.

Allmagten göre min Huldaste Fru Mormoders dagar i  
des häga ålder glada och fära, och tildelse min Huldaste  
Fru Mormoder omsider den oförvanskelig sällheten! under hvil-  
ken önskan jag städse framhärdar

Min Huldaste Fru Mormoders

Ödmjuk- lydigste Dotterson  
**LARS JOHAN HEDEEN.**

I. N. J.

## PRÆFATIO.

**T**egibus nec non eorum voluntati & jussui, quos nullo non tempore summa animi prosecutus sum veneratio- ne, obtemperaturus, non potui non hac occasione in conspectum prodire eruditorum. Incidi quidem in materiem gravem, dignam & jucundam, sed, ut ingenue fateor, admodum leviter, &, ut doctorum oculis subjiciatur, haud digne a me elaboratam & exornatam. Partes enim officii mihi demandati, & aliae occupationes, quibus quotidie fui detentus & distractus, me a praesenti materie prolixius & pulchrius enucleanda & evolvenda avocarunt. Quam ob rem tuum C. L. mihi policeor favorem & expeto, utque hanc tractationem mitiori perstringas censura, etjam atque etjam rogo. Generales haec nostra dissertatiuncula solum-

A

con-

continet *gravitatis* affectiones & leges, ex quibus plura D. V. in sequentibus deducturus sum theorema, n. c non alia hanc doctrinam concernentia breviter expositurus.

## §. I.

**S**i qua scientia, non minus temporibus antiquioribus quam ævo Scholasticorum, perverse fuerit tractata & fabulis conspurcata, certe illam, quæ de corpore ejusque affectionibus & proprietatibus agit, inque effectum naturalium & phænomenorum, quæ in mundo materiali contingunt, causis investigandis & rimandis versatur, quamque *Physicam* appellare solent, neque minus infelix subiisse fatum, res est notissima. Veteres enim Chaldaeï, Ægyptii, Græci aliique, potius solliciti erant, & operam omnem collocabant in originibus omnium rerum indagandis primisque elementis expiscandis, quam ut ea, quæ sensibus essent obvia, rite examinando, ad naturæ consuetudines animum adverterent. Si vero quod phænomenon attentione dignum censerent, observationibus fere omnibus neglectis, statim ad caussas ejus tradendas advolabant. Scholasticis autem fatis erat, ex mente ARISTOTELIS, qui ad generaliores formarum conceptus dissipus, dimissa e manibus materiæ, e principiis Logicis *Physicam* potius nobis dedit, quam e principiis *Physicalis*, ut apte loquitur MORHOFIUS, ut ceteras disciplinas, ita etiam *Physicam* tractare; quanvis ejus

3 ) 3 ( 3

ius scita eos haud satis intellexisse scripta eorum  
nos luculenter doceant. Unde factum est, ut ob-  
scuris terminis, futilebus conjecturis, ineptis specu-  
lationibus & Metaphysicis tricis rerum Divinarum  
scientiam obfuscarent & depravarent, atque qualitatum,  
formarum materialium & substantialium  
aliorumque monstrorum farragine ignorantiam pal-  
liarent, & innumeris quæstionibus & disputationi-  
bus de materia, forma & privatione eam totam  
confunderent. Inconvenientem & *Physices* incre-  
mento minus proficuum methodum hanc esse, in-  
ter alios videbant BACO DE VERULAMIO & GA-  
LILÆUS, viri profundi ingenii & exacti judicii,  
aliisque scientiæ huic promovendæ magis aptam  
excogitabant & præscribebant, atque, fremente li-  
cet toto Scholastitorum cohorte, feliciter sequeban-  
tur. Hi etenim luce clarius demonstrarunt, obser-  
vationes & experimenta circa corpora resque na-  
turales sedulo & caute esse instituenda, ita detecta  
colligenda & conferenda, ex iisque conclusiones  
veras deducendas, nec non demonstrationibus &  
calculis Mathematicis, quantum fieri potest, singu-  
la comprobanda. Ex quo factum, *Physicam* plane  
aliam & quidem lætiorem induisse faciem, innu-  
meraque, quæ antea qualitatum occultarum vela-  
mine tecta jacuerant, in lucem esse protracta, at-  
que sic hanc scientiam ad mirabile perfectionis fa-  
stigium evectam, vitæque communi accommodatam.  
Remoram quidem quandam ejus progressui injice-  
re, & tenebras novæ luci offundere videbatur CAR-

TESII ejusque asseclarum *Physica* tractandi ratio,  
 quippe qui experientiam perfunctorie tantum con-  
 sulebant, omniaque a priori, & quidem ex ipsis  
 attributis Divinis immanni fastu sibi satis perspecta  
 esse imaginabantur, naturamque non qualis est,  
 sed qualem eam esse finxerunt, describebant, con-  
 ceptus suos potius in eam inferentes, quam ex ea  
 formantes. Tandem Illustr. NEWTONUS, vir sa-  
 gacissimi & stupendi ingenii, has nubes dispulit tam  
 felici successu, ut, qui in luce meridiana cæcutire  
 noluerint, ejusmodi nugis & figmentis indulgere  
 haud potuerint. Postmodum itaque viri magni  
 magno numero in lucem prodierunt, qui missis  
 conjecturis & hypothesis vestigia ejus sedulo  
 presserunt, observationes & experimenta summa  
 cum industria instituerunt, Mathesinque in consili-  
 um adhibuerunt, existentibus licet interdum etiam  
 iis, qui forsan moræ impatientes ferre non pote-  
 rant, ut tam lertos *Physica* faceret progressus, va-  
 riis pro arbitrio confictis opinionibus scientiæ in-  
 crementa subito acceleraturi, reapse retardarunt.  
 Oculatores tamen facile perversum horum studi-  
 um intellexerunt, opinionum ejusmodi absurdita-  
 tem detexerunt & e *Physica* eliminarunt. Theoria  
*gravitatis* omnino ad oculum demonstrat, qvam e-  
 gregie nostræ scientiæ consultum sit, introducta ve-  
 ra & genuina methodo. Nihil fere de ea sibi per-  
 spectum habebant *Physici* ante GALILEUM, præ-  
 ter absurdâ figmenta de causa ejus, quam antea,  
 quam ipsius phænomena & leges indagarent, no-  
 tam

tam esse volebant. Quæ vero de *gravitate* jam no-  
vimus, ea GALILÆO, NEWTONO, aliisque, qui  
vestigiis eorum institerunt, omni jure sunt tri-  
buenda.

## §. II.

Corpora terrestria, pro ratione magnitudinis & densitatis, cum difficultate sursum elevari, vires quasdam, ut suspensa teneantur, esse impendendas, facile vero deorsum moveri, quotidiana edocemur experientia. Vim illam, qua corpora libere sibi permitta versus tellurem feruntur & descendunt, aut obstacula descensum impedientia premunt, *gra-*  
*vitatis* nomine insigniri neminem latet. Duplicem hinc effectum ejus esse apparet: aut enim corpus actu movetur deorsum; aut in aliud motu huic oblistens pressuram exercet. Hanc vim, qua premit alia corpora sibi subjacentia, æqualem non esse in quibusvis corporibus vulgo notum est. Alterum namque majori vi esse instructum, alterum minori gaudere quotidie experimur, quod notio-  
nem diversi *ponderis* corporum nobis insinuat. *Pondera* vulgo indagari solent, imponendo corpora bilanci, quo ipso ratio diversorum ponderum detegitur. *Pondus absolutum* appellatur, quod æstima-  
tur pondere dato, quod pro unitate habetur, non attendendo ad magnitudinem voluminis; *specificum* vero est ratio inter diversorum corporum ejusdem magnitudinis pondera. Hinc corpus *extensæ gra-*

*viu* a nonnullis dicitur, quod plus habet ponderis  
 seu gravitatis absolute consideratum, nullo respectu  
 ad molem habitu; *intensive* autem seu *specifice* *gra-*  
*vium*, quod pro molis ratione plus ponderis quam  
 aliud habet. (a) Motum *gravium* deorsum fieri  
 perpendiculariter ad superficiem telluris seu aquæ  
 stagnantis experientia evidenter comprobat. Nam  
 si ex puncto fixo, posito in sublimi, supra aquam  
 stagnantem vase ampliori contentam, suspendatur  
 corpus grave, verbi gratia globus plumbeus, filo  
 tenui infra superficiem summam aquæ pertingente,  
 adeo ut plumbum vi gravitatis suæ libere disten-  
 dat filum; tum quidem ope normæ deprehenditur,  
 directionem fili esse normalem ad superficiem a-  
 quæ. (b) Aquas vero stagnantes quum constet si-  
 tum servare horizonti parallelum, hinc porro con-  
 ficitur, *gravia* descendere & moveri secundum li-  
 neam, quæ sit ad horizontalem perpendicularis. (c)  
 Ex hoc quoque consequitur, corpora terrestria vi  
 gravitatis tendere ad centrum terræ, si hæc perfe-  
 cte sphærica gauderet figura. (d) Verum variis,  
 a viris magnis, ut PICARDO, MAUPERTUIS,  
 CELSIO aliisque, factis graduum meridiani mensu-  
 rationibus, nec non HUGENII & NEWTONI de-  
 monstrationibus satis evictum est, terram non re-  
 ferre figuram sphæricam, sed potius sphæroideam  
 ad polos depressorem, cuius diameter secundum  
 æquatorem ad ipsius diametrum per polos, secun-  
 dum calculum HUGENII, esset ut 576 ad 575, vel  
 578 ad 577, & NEWTONI, ut 230 ad 229. (e)

Observationes quidem CASSINI, patris & filii, DE LA HIRE & MARALDI innuere videbantur, axem telluris  $\frac{1}{4}$  majorem esse diametro æquatoris, unde sub polis esset elatior quam sub æquatore. Sed ex mensuris a MAUPERTUIS, CAMO, CLAIRAUT, LE MONNIER & CELSIO ad Tornoam in Lapponia factis, & cum iis, quæ post redditum eorum institutæ erant in Gallia, quibus dimensiones PICARDI congruunt, comparatis, deducitur ratio inter axem & diametrum æquatoris ut 177 ad 178 quam proxime. Et si mensuræ in Peruvia a GODIN, BOUGUER & DELACONDAMINE institutæ, & eæ, quæ in Lapponia siebant, inter se conferantur, foret axis  $\frac{1}{4}$  minor diametro æquatoris. (f) Ex his autem concludimus, corporum gravium nullum directionemve non ubique locorum ad centrum terræ convergere, sed inde aliquantum plus minus hinc atque illinc aberrare, ita tamen, ut de quocunque demum loco, sive in superficie terræ sive intra terram assumto, grave sibi permisum libere seu absque impedimento ad summam profunditatem descendat, ipsum tamen centrum terræ tandem attingat; & quidem in linea recta descendat, quod ex quocunque loco in plano æquatoris aut in axe telluris sumto demittatur; ex reliquis vero quibusvis locis demissum corpus per lineam curvam, pro loci istius alio atque alio situ, modificatam incedat. Quum vero haud magna sit aberratio figuræ telluris a sphæra, utpote inter semidiametrum æquatoris & axem, trium &  $\frac{3}{5}$  mill.

Svec.

Svec. quibus diameter æquatoris excedit axem, (g) pro insensibili ratione tantæ molis censeri solet: atque hinc multi Physicorum gravitatem definiunt per vim vel nisum, quo corpora versus centrum terræ propelluntur. Perperam autem centrum mundi *gravia* petere dicuntur, quemadmodum quosdam cum ARISTOTELE locutos fuisse accepimus, ideo a ROHAULTO & KEPLERO refutatos. (h) Nimis generaliter quoque WINCKLERUS gravitatem descripsit per nisum corporis ad corpus cœlestē; (i) nam etjamsi, quod ad systema planetarium nostrum attinet, admodum probabiliter præeunte NEWTONO colligamus, vim, qua planetæ primarii circa solem & eorum satellites circa illos ipsos moventur & in orbitis suis retinentur, esse ejusdem indolis ac est *gravitas* corporum terrestrium, qua ad centrum terræ protruduntur; temerarium tamen videtur ultra sphærā nostrā cognitionis eandem frustra extendere. Prorsus incongrua & indeterminata vero est illa descriptio *gravitatis*, quam tradit CAVALLERIUS, dum eam vim absolute descensivam appellat, (k) quare prolixa refutatione nec opus habet.

(a) J. WALLISII Oper. Mathem. Vol. II. p. 708.. (b)

Conf G. W. KRAFFT Præf. in Physic. Theoret.

p. 83. 84. J. A. NOLLET Vorlesung. über die Experi-

mental-Natur-lehre T. II. p 495. (c) Vid F. PALM-

QUIST Grunder til Mechaniquen , p. 187. 188. (d)

Conf. P. v. MUSSCHENBROEK Inledning til Natur-

Eunnigh. p. 89. (e) R. Swens. Wet. Acad. Handl.

f. A.

f. A. 1750. p. 9. 10. C. WOLFII Element. Math.  
Univers. edit. 1717. T. II. p. 61. J. M. VERDRIES  
Physic. p. 367. J. H. WINCKLERI Instit. Mathematico-  
Physic. p. 487. L. P. THÜMMIGII Instit. Philos.  
Wolfian. p. 427. 428. (f) S. W. Acad. H. a. c. p.  
83. seqq. VERDRIES l. c. p. 367. 368. 374. 375. WIN-  
CKLERI l. c. p. 489. 490. (g) S. W. Acad. H. a.  
c. p. 94. (b) KRAFFT l. c. p. 86. (i) Instit. Phi-  
los. Wolf. p. 428. (k) KRAFFT l. c. p. 85.

### §. III.

Omnia corpora terrestria nobis nota *gravitate* esse instructa experientia luculenter evincit. Insaniam itaque sapere illorum, si qui fuerint, opinio videtur, qui nullum corpus grave esse affirmabant. (a) De firmorum corporum *gravitate* nemo facile dubitaverit. Nec observationes & experimenta nos sinunt dubium aliquod fovere, de plerorumque fluidorum, etiam subtiliorum, vaporum & exhalationum *gravitate*. Fumus in vacuo reperitus est descendere, qui addito aëre iterum versus summitatem vasis adscendit. (b) Aërem atmosphæricum *gravitate* non destitui, variis argumentis quoque extra omnem dubitationis aleam est positum. GALILÆUS primus aërem gravem esse deprehendebat. Plurimorum phænomenorum caussas antea ficto vacui metui adscribere solebant. Quum enim observarent, adductum syringis embolum aquam aliave fluida immediate sequi, & propria gravitate neglecta in syringam adscendere, causam adscensus hujus opinabantur esse metum vacui,

(3) 10 (4)

quod totam naturam horrere autumabant. Huic fugæ vacui et iam adscensum aquæ in antliis tractoriis adtribuebant. Postquam vero GALILEUS animadvertebat, in antlia ejusmodi, in horto Magni Ducis Hetruriæ, aquam non assurgere ultra certam altitudinem, fugæ vacui nullum hic locum magis concedendum esse exclamabat; quia ea posita, antliam oporteret aquam posse ad centum vel plurimum pedum altitudinem elicere, hincque suspicabatur causam hujus adscensus esse derivandam ab atmosphæræ *gravitate*, & inde orta pressione. Quam sententiam ut ulterius confirmaret, sphæræ concavæ de vitro contexæ & trutina exacte examinatae aërem intrusit, eamque clausam deinde bilanci accuratissimæ imposuit; quo facto, eam plus quam antea ponderis habere compertit. Hoc experimentum a pluribus post eum saepius repetitum est. (c) Postea TORICELLIUS, discipulus ejus, aquæ loco mercurio usus est, deprehenditque in tubo vitreo perpendiculariter erecto, cuius pars suprema clausa est, infima vero in stagnantem mercurium subjectum hiat, ad altitudinem 28 circiter digit. hærere mercurium. Idem experti sunt brevi post MERSENNUS & PASCAL in Gallia. Hujus effectus rationem nec aliunde esse petendam, quam a *gravitate* aëris, haud difficulter sentiebant. Fuerunt quidem adhuc nonnulli, qui fugam vacui deferentes nolebant, & hinc spatium illud in tubo vacuum contendebant esse repletum subtilioribus effluviis de hydrargyri tota mole discussis, instar vaporis adscendentibus, adeoque non esse vacuum. Verum PASCAL  
boup fa-

facile hoc commentum refellebat. Assumit enim loco mercurii aquam & vinum, &, quia sunt fluida mercurio leviora, adhibuit tubos 40 ped. longos, & implevit unum aqua, alterum autem vino. Hoc facto, secundum mentem adversariorum, vitrum, ut pote volatilius aqua & ideo plura emitens effluvia, majus spatium relinquere debuissest in parte superiori tubi, quam aqua; sed factis periculis aliter se res habuit. (d) Antlia pneumatica ab OTT. DE GERICKE inventa, & a BOYLE ad majorem perfectionis gradum deducta, aëris gravitas ita ad oculum est demonstrata, ut nemini jam dubium hac de re superesse facile crediderim. Nam tubo illo Torricelliano sub campana antliae constituto, & aëre extracto, mercurius desinit suspensus hærere, sed sensim pro ratione aëris exhausti subsidet; immisso vero iterum aëre, eandem attingit altitudinem, qua antea conspiciebatur. (e) Si globus epistomio munitus ope cochlearum affigatur antliae, & aër inde exantletur, dein epistomio clauso ab antlia removeatur & accurata bilance *pondus* illius exploretur, quo explorato, epistomium recludatur; aërem cum sibilo globum intrasse & notabile *pondus* globo addidisse compertum est. Observavit WOLFIUS, globo, cuius diameter 132. lin. æquabat, sic accessibile 1 unc. 2 drach. 44 gr. augmentum, deprehenditque VOLDERUS, sphæræ aëre repletæ *pondus* fuisse 7. libr. 1 unc. 2. drach. 48 gr. aëre autem educto eam 7. libr. 1. unc. 10 dr. 31. gr. *pondus* habuisse. (f) Aëris gravitatem & independentem pressionem etiam comprobant he-

misphæria OTT. DE GUERICKE Magdeburgica, de  
 cupro constructa,  $\frac{3}{4}$  fere uln. Magd. diamet.; hæc  
 enim sibi invicem imposita, aëre exantlato, tanta  
 vi ab aëre externo comprimebantur, ut a 16 equis  
 difficillime potuerint divelli: (g) pluribus experi-  
 mentis recensendis aëris *gravitatem* evincentibus ut  
 supersedeamus. *Pondus aëris specificum* quoque deter-  
 minare allaborarunt Physici, ut GALILÆUS, qui  
 conclusit aërem esse ad aquam, ut 1 ad 400, MER-  
 SENNUS, ut 1 ad 1300, BOYLE, ut 1 ad 1000,  
 HOMBERGIUS, ut 1 ad 692, HALLEYUS, ut 1 ad  
 800, HAUKSBE, ut 1 ad 885: alii aliam proportionem  
 assignarunt. (h) Secundum BOERHAAVUM aër  
 communis tempore ponderis medii in aërosphæra,  
 simulque in calore anni totius medio est ad aquam,  
 ut 1 ad 850. (i) Hæc discrepantia multum depen-  
 det ab aëris diversa densitate & calore, nec non a-  
 quæ, & præterea hujus majori vel minori puritate.  
 Nec his substiterunt seduli naturæ scrutatores, sed  
 ulterius progressi inquisiverunt etjam in diversitatem  
 ponderis aëris in diversis altitudinibus, observarun-  
 que MARIOTTUS, DE LA HIRE, CASSINUS, PI-  
 CARDUS, G. WALLERIUS, CELSIUS, HAL-  
 LEYUS, DERHAMUS aliique, mercurium altius in  
 tubo profundis immisso fodinis hærere, quam in su-  
 perficie terræ, in locis vero altioribus descendere  
 mercurium. (k) Præterea ad calculum vocatum est  
*pondus* totius aërosphæræ telluri incumbentis, quæ  
 secundum STURMIUM, 6'', 687, 360'', 000, 000,  
 000, 000, BERNOULLIUM, 6'', 6000, 1000'',  
 000,

600, 000, 000, & DURÆUM, 12<sup>m</sup>, 086, 236<sup>m</sup>,  
 799, 000, 000, 000 libr. continet. (l) Ex his ita-  
 que elucet, haud attendenda esse ea, quibus inter  
 recentiores R. P. CHERUBINUS Aurelianensis, & A.  
 RUDIGERUS nec non CASATUS aëri gravitatem  
 abjudicare tentarunt. (m) Nec ad stipulari possumus  
 HOLLMANNO, qui pleraque illata nobis adducta  
 phænomena non gravitati aëris, sed potius vi ejus  
 elasticæ adscribere conatur; nam aër, inquit, gravi-  
 tate sua non in alia quadam directio ne, quam quæ ad  
 centrum terræ tendit, agere potest (n). Ex hac enim  
 ratione sequeretur, omnia fluida elasticitate esse præ-  
 dicta, quippe quæ ad omnes partes pressionem exse-  
 rere solent, quod tamen absurdum est dictu. Mul-  
 to minus opiniones HENRICI MORI, CHRIST-  
 THOMASII aliorumque moramur, qui illos effectus  
 principio cuidam hylarchico & spiritui attrahenti tri-  
 buere malunt, quam aëris (o) Admodum absurdum  
 quoque judicamus funiculum FRANCISCI LINI, quo  
 experimentum Toricellianum explicare conatus est. (p)  
 Non tamen sine omni ratione aqua quibusdam hæ-  
 ret, an hæc ipsa gravitas competit ipsi aëri puro;  
 utrum vero tota variis heterogeneis corporeulis in  
 aëre natantibus adscribenda. Sed sine multis amba-  
 gibus dubium hoc solvi posse credimus. Experimen-  
 ta vero, quibus aëris sic dicti puri gravitas adstrui  
 solet, desiderio minus satisfacere, haud sine omni  
 prorsus fundamento assererem audemus. Experimento  
 enim sequenti, inter alia, aërem a vaporibus & ex-  
 halationibus purgatum gravem esse evincere annitun-  
 tur

tur plurimi. Sphæræ vitreæ aëre privatæ affigitur  
 infandibulum repletum cineribus clavellatis calidis sic-  
 cisque, per hos filtratur aér, qui in sphærā vitre-  
 am irruit, hocque modo aëre impletur vas, cuius  
*gravitas* dein aucta deprehenditur, quam aëri puro  
 attribuere non dubitant, (q) quum vapores & efflu-  
 via in aëre hospititia cineribus dictis associata for-  
 te existimant. Verum ingenue fatemur, hoc expe-  
 rimentum a nobis extorquere non posse ullum as-  
 sensum conclusioni inde deductæ, nisi aliæ rationes  
 aërem etiam heterogeneis privatum gravitate gaudie-  
 re demonstrarent. Nam animadvertis MUSSCHEN-  
 BROEK, sèpius experimentando, aërem atmosphæ-  
 ricum cœlo sicco, sereno & æstivo, in recipiens eva-  
 cuatum per cineres nominatos transmissum, idem  
*pondus*, quod ante habuerat, retinuisse; cœlo vero  
 humido magnam comperit *ponderis* differentiam. (r)  
 Unde prona fluit consequentia, aut aërem cœlo se-  
 reno ab omnibus heterogeneis esse liberum, aut ex-  
 halationes in aëre existentes per cineres clavellatos  
 in experimentis Musschenbroekianis cœlo sicco in-  
 stutis libere transiisse, quum nulla observata sit pon-  
 deris differentia: prius autem quum admitti neque-  
 at; posterius igitur adstruendum arbitramur, adeo  
 que aërem ope cinerum clavellatorum purum reddi  
 non posse. Hinc itaque, simul attendentes ad expe-  
 rimenta MUSSCHENBROEKII cœlo humido capta,  
 concludimus, aquam solummodo, & forsitan alia quæ-  
 dam effuvia in aëre obvia, si quæ afficitate singulari-  
 cum cineribus clavellatis, urpote alcalinæ indolis, pol-  
 sunt

sent, in illis remanere, cetera vero in aëre voli-  
tantia per eos una cum aëre libere permeare, & cum  
eodem ponderare; adeo ut ex experimento illo nul-  
lum peti possit argumentum pro demonstranda aëris  
puri gravitate. Sed hæc ultius expendenda & ex-  
cutienda aliis sagacioribus relinquimus. GUERIC-  
KII autem, ELLERI<sup>(5)</sup>, SCHLETTWEINI<sup>(6)</sup> alio-  
rumque sententiam, qui aërem ex meris vaporibus  
constare opinantur, tam inextricabilibus difficultati-  
bus, ut nonnullis visum est, esse obnoxiam, non faci-  
le concedere possumus.

- (4) MUSSCHENBROEK I. c. p. 101. (b) Tentam. expe-  
riment. natur. capt. in Acad. del Cimento. P. I. p. 73.  
NOLLET I. c. p. 479, 480. (c) S. W. Acad. H. f. Å.  
1749. p. 82, 83. J. C. STURMII Physic. Elecl. seu  
Hypothet. T. I. p. 148, 181 & alibi. WALLISII I. c. p.  
730. seqq. GORDON Phys. Experiment. Elem. T. I.  
p. 401, 402. WOLFH. Mögliche Versuche &c. T. I.  
p. 171, 172, & 327. (d) S. W. Acad. H. a. c. p. 84, 85.  
WOLFII I. c. p. 173. seqq. pluresque. (e) DURÆI II.  
fast til Föreläss. öfver Naturf. p. 89, 90. GORDON I.  
c. p. 409. KRAFFT I. c. p. 311. MUSSCHENBROEK  
I. c. p. 430. WOLFII I. c. p. 179. seqq. THÜMMI-  
GII I. c. p. 261. VERDRIES I. c. p. 411, 412. (f)  
G. J.'s GRAVESANDE Physic. Element. Mathemat. &c.  
T. I. p. 163. GORDON I. c. p. 410. G. E. HAM-  
BERGERI Element. Phys. p. 262, 263. WOLFII I. c.  
p. 153, 154. VERDRIES I. c. p. 410. (g) Diff. de gra-  
vitate aëris, sub præsid. Cel. D. Prof. DURÆI p. 15.  
WOLFII I. c. p. 259. J. G. KRÜGER Naturlehre p. 346.  
347. (h) MUSSCHENBROEK Additament. ad Tentam.  
Acad.

Acad. del Cimento P. II. p. 126. (i) Element. Chemia  
T. I. p. 369. (k) MUSSCHENBROEK Addit. cit. P. I.  
p. 51. seqq. (l) Diss. de gravit. aëris, Präsid. Nobil. D.  
KLINGENSTIERNA p. 17. DURÆI lib. cit. p. 85. (m)  
J. TÖRNER Disp. de Instrument. Meteorolog. Ups. hab.  
p. 3. S. C. HOLLMANNI Physic. p. 328. WINCKLE-  
RI Inst. Phil. Wolf. p. 548. (n) L. c. p. 327. (o)  
HOLLMAN. l. c. p. 327. 328. (p) WALLIS. l. c. p.  
717. KRAFFT l. c. p. 31. (q) Diss. de gravit aëris, Präf.  
DURÆO p. 5. VERDRIES l. c. p. 11. (r) Orat. de  
methodo instituend. experiment. Phys. p. 28. (s) GOR-  
DON l. c. p. 414. (t) Bemühungen in der Naturkund.  
&c. s. Abhandl.

#### §. IV.

Multi Physicorum ignem etiam *gravem* esse as-  
serunt, nixi experimentis, quæ capta sunt a BOY-  
LE, DU CLOS, HOMBERGIO, HELLOTO, LEM-  
MERY aliisque, quibus varia corpora tam in vascu-  
lis apertis quam clausis igni exposita, *pondere* aquæ  
deprehensa sunt. Nam BOYLE, inter alia, observavit  
stannum 8 unc. post calcinationem evasisse 18 gr. gra-  
vius. (a) Argentum vivum per metalla accurate  
depuratum, in vale puro, flamma accensæ lampadis  
idoneo tempore digestum, in pulverem abiisse pon-  
dere autam perhibetur. (b) Regulum antimonii  
in tenuissimum pulverem redactum, in vase fictili lo-  
ricato, exposuit DU CLOS foco speculi caustici per  
horæ spatium, quo tempore elapsò, tere in cineres ab-  
iit, & aductus fuit supra pondus adhibiti antimonii ad  
unam decimam partem, densas licet & albicans fumus

de

de eo sub calcinatione avolaverit. (c) HOMBERGIUS quatuor uncias reguli antimonii in pollinem contritas, in foco vitri Tschirnhausiani collocavit, & quidem ad distantiam sesquipedis a vero ejus foco, saepque agitavit cochleari ferreo, donec non amplius fumarent. Hic pulvis dein incrementa ponderis trium drachmarum & aliquot granorum exhibuit, multum quamvis de eo dissipatum fuerit sub forma fumi. Idem hic pulvis admotus foco vero illius vitri illico fusus, amisit eo ipso octavam partem pristini ponderis reguli, & adhuc illas tres drachmas & grana augmenti.

(d) Hoc experimentum quoque institutum est a LEMMERY. (e) ZUMBACHIUS, plumbo foco vitri dioptrici exposito, sensibile ponderis incrementum accessisse expertus est, durante experimento licet multum fumi in auras abierit: (f) plura experimenta facta cum plumbo, stanno, cupro, minio aliisque materiis, quæ præter memoratos modos flammæ accensi sulphuris nec non spiritus vini fuere impositæ & inde graviores exemptæ, ut prætereamus. (g) Hæc adducta & alia ejusmodi plerisque tanti ponderis visa sunt, ut igni gravitatem tribuere haud dubitaverint. Verum quidem est, augmentum illud ponderis provenisse ex materiæ cuiusdam peregrinæ admixtione vel accessione; sed quænam fuerit, haud facile determinari potest. STAHLII enim opinionem in omnibus recte se non habere quivis intelligit, qua putat non valere consequentiam ab incremento ponderis alicujus

corporis ad accessionem aliis corporis gravis, quia  
 sola condensatione pondus corporum cresceret:  
 quod experimento etiam confirmare tentavit, dicit  
 namque, plumas tenerrimas densa compressione  
 in saccos compactas, haud parvum ponderis incre-  
 mentum inde sortiri. Verum aliunde, quam a con-  
 densatione qua tali, petenda est ratio hujus aug-  
 menti. (h) Non jam disquirere animus est, an i-  
 gnis sit singularis quædam materia; vel utrum con-  
 sistat solum in motu rapidissimo seu celerrima agi-  
 tatione particularum alias cujusdam materiæ; sive  
 an sit substantia vel accidens. Nec dirimere illam  
 quæstionem nostrarum est virium, utrum lux &  
 ignis sint diversæ materiæ; an vero ejusdem ma-  
 teriæ diversa phænomena. (i) Variæ svadent ra-  
 tiones, ut lucis materiam eandem habeamus ac i-  
 gnis, nec tamen desunt aliæ, quibus diversas eas  
 esse materias affirmari possit. Id tantum conten-  
 dimus, cum certitudine igni adscribi non posse  
 gravitatem, nec ejus accessione in allatis casibus  
 pondera aucta fuisse. Multa enim contra hæc ex-  
 perimenta moneri queunt, huicque sententiæ ob-  
 jecerunt plures magni viri, ut BOERHAAVIUS, BOU-  
 LEDUCCIO, DU HAMEL aliique. (k) Nam ex-  
 pertus est BOERHAAVIUS, massam octo librarum  
 ferri, ignitam per totam substantiam, nihil acqui-  
 sivisse omnino ponderis, & observat, calcinatio-  
 nem illam factam fuisse in cochleari ferreo, vel  
 in figulino vase, agitata dein calcinanda perpetuo  
 instrumento ferreo, unde moles accrescere potuit.

Præterea monet, non omnia corpora calcinata pondere aucta fuisse, sed illa modo, quæ sulphure rodenti plena, ut antimonium, plumbum, stannum, auripigmentum, nec non alia. Hinc forte, inquit, externum illud acquiritur rodendo, terendo, miscendo, quod tandem liquefactione inde separatur. Minus etiam ponderis incrementum corpora vitro inclusa dedisse animadversum est, quod itaque aliunde videtur arcessendum esse, & alii materiae cum igne translatæ tribuendum. (l) Si denique animum advertamus ad experimenta HALESII, quibus probavit aërem fluiditatem amittere, in corpus solidum devenire, elasticitatemque suam perdere, non mirum, viros graves potius derivasse id ponderis augmentum ab aëre, quam igne, vel saltim tamdiu suspendisse judicium suum hac de re, donec magis stringentia argumenta prodeant, quibus ignis gravitas demonstrari queat. (m)

(a) KRUGER I. c. p. 325. (b) BOERHAAV. I. c. p. 305.

(c) MUSSCHENBROEK Inledning til Naturk. p. 312.  
GORDON I. c. T. II. p. ii. BOERHAAV. I. c. KRU-

GER I. c. p. 326. (d) BOERHAAV. I. c. & p. 307.  
KRUGER I. c. (e) MUSSCENBR. I. c. GORDON I. c.

(f) MUSSCHENBR. I. c. GORDON I. c. (g) Vid  
Diss. de gravitate ignis sub præf. Reverendiss. & Emi-

nentiss. D. D. Episc. & Pro-Canc. C. F. MENNAN-

DER edit. MUSSCHENB. I. c. p. 311. seqq, GORDON

I. c. p. 9. seqq, KRAFFT. I. c. p. 268. (h) Fundam.

Chym. Dogm. Ration. & Exper. p. 3. 4. HAMBERGER.

I. c. p. 236. (i) NEWTONI Optic, p. 272. seqq. (t)

BOERHAAV. s. c. p. 307. (l) l. c. G. J.'s GRAVE-SANDE Philos. Newton. Inst. p. 303. 304. (m) Persillust. D. KLINGENSTIERNÆ Utmärkning. till MUS-SCENBR. l. c. p. 602. 603. Diss. cit. de gravitate i-  
gnis, p. 21. 22.

## §. V.

Ex allatis jam patere arbitramur, levitatem illam, quæ nonnullis corporibus, tribui solet, esse solum relativam, & eo sensu accipiendam, quod, quemadmodum pondere differre deprehenduntur corpora, ea, quorum pondus majus esse ob-servetur, graviora dicantur, illa vero, quæ minus pondus horum respectu habeant, leviora, & si pondus eorum specificum a pluribus supereretur, levia appellentur. Hinc itaque liquet, pro mero lusu rationis censendam esse levitatem positivam, quam velut principium aliquod quorundam corporum nisum aut motum sursum producens, contra sententiam DEMOCRITI & PLATONIS, propugnavit ARISTOTELES, & in natura locum habere contendit. (a) Ejusmodi levitatem dari, qua scilicet corpora nonnulla non solum nullam haberent gravitatem, sed etiam sursum per se tenderent, ex illis observationibus, quibus quædam altiora petere videmus, conclusit. Quum enim aërem aquam penetrare atque super eam ascende-re, ignemque perforare æque aërem ac aquam, & ad supremum locum assurgere observaret, aërem

&amp;

& ignem absolute levem ponebat, duoque loca contraria, sursum nempe & deorsum, statuebat. (b) Verum hæc phænomena, salva gravitate absoluta, facile iam explicari possunt, & præterea levitatem positivam absurdam esse evidenter evicerunt & comprobarent plurimi. Nam ex Hydrostaticis novimus, solida fluidis immersa tantum ponderis sui amittere, quantum hæc sub eodem volumine habent, cuius effectus ratio ex fluidi æquali pressione quaquaversum deduci solet; quare si fluidum specifice gravius sit solido eidem immerso, non potest non hoc vi gravitatis fluidi & inde pendentis pressionis sursum evehi: quod etiam fluidis altero specificè levioribus accidit. Adeoque hujusmodi phænomena non ex levitate quadam positiva, sed, ut loquuntur, ex expulsione a rebus gravioribus facta, quæ, quum majorem vim ad descendendum habent, atque inferius se locare nituntur, illa levia premunt & ad ascensum extrudunt & impellunt, esse derivanda hinc colligitur. (c) WALLISIUS pulchre ostendit, quantis incommodis illa Peripateticorum opinio subjaceat, & experimento demonstravit, quam absurdâ inde fluant conjectaria. (d) Duo experimenta ab Academia Del Cimento eundum in finem facta, etiam abunde declarant, quam insolubiles difficultates ex dicta levitate sequantur. Cylindrus enim ligneus, cuius basis obducta erat lamina metallica, plana & laevigatissima, immisus fuit vasi cylindrico alii ligneo vel terreo & vitro obducto, æqualis vel majoris alti-

fundinis, & applicatus ad hujus fundum accurato  
 contactu cum base, quæ quoque tecta erat tenui  
 lamina metallica vel vitro piano & puro. Vis illa  
 contactus basium mensurata inventa est 3 libr. In  
 hunc cylindrum mercurio dein infuso, quo prior  
 tegebatur, a basi non separabatur cylindrus immis-  
 sus, manibus vero elevatus subito & magno im-  
 petu adscendere & mercurio innatare observaba-  
 tur. Quo facto, hæc vis elevans, quæ supponeba-  
 tur esse vis levitatis, etjam mensurata est, & de-  
 prehensa 5 libr., quippe tantum pondus re-  
 quirebatur ad deprimentum illum ad fundum &  
 impediendum, quo minus tenetaret. Quum itaque  
 vis suppositæ levitatis major fuerit, quam resisten-  
 tia ex contactu ambarum basium orta, hæc igitur  
 ut minor superari debuisset ab illa ut majori, cy-  
 lindrusque elevari, sed cylindrus non fuit divul-  
 sus; recte ergo concludebatur, id quod cylindrum  
 elevavit in mercurio, aliud quid fuisse quam levi-  
 tatem positivam. Alterum experimentum idem do-  
 cens brevitatis rationem habentes omittere cogi-  
 mur. (e) Hanc ARISTOTELIS sententiam proli-  
 xe antea refutarunt BORELLUS & CLARKIUS.  
 (f) Terram autem absolute & simpliciter gravem  
 esse opinabatur ARISTOTELES. (g) Falsam i-  
 deam de gravitate telluris sibi finxisse etjam vide-  
 tur ARCHIMEDES, quum eum dixisse ajunt, da  
 mihi punctum extra terram, ubi pedem figam, &  
 hanc loco dimovebo. Quamvis enim partes ejus gra-  
 vitate sint instructæ, illa tamen ex eo fundamento

gravis nuncupari nequit. Nam pressio gravitatis ab una parte terræ æqualis est ejusdem pressioni ab altera parte contraria, ad quæ hinc non potest non tota terra in æquilibrio esse; nisi enim pondera partium telluris in se mutuo essent æqua-  
lia, tota terra in libero spatio fluitans ponderi ma-  
jori cederet, & ab eo fugiendo abiret in infinitum.  
Seu, quemadmodum omnia corpora in tellure exi-  
stentia, ut partes ejus spectata, tendunt ad cen-  
trum ejus, non prius desinunt moveri & quasi ad  
invicem concurrere, quam inde ejusmodi exsurgat  
globus terraqueus, in quo æquilibrium detur inter  
singularum totius globi partium pressiones ex illo  
concurso ortas, quo obtento, nullam resistentiam  
potentia integrum globum de loco dimotura ulte-  
rius sentire potest a vi gravitatis, quippe qui hu-  
jus respectu indifferens jam videtur esse ad quem-  
libet locum. (b)

- (a) MUSSCHENBROEK Additament. ad Tentam. Acad.  
del Ciment. P. II. p. 73. KRAFFT l. c. p. 86. STUR,  
MII l. c. p. 298. 299. (b) MUSSCHENBR. l. c. (c)  
Vid. Tent. Exp. Acad. del Ciment. P. II. p. 69. (d) l. c. Vol.  
II. p. 728. 729. (e) Tent. cit. p. 70. seqq. (f) MUSS-  
CHENBR. l. c. KRAFFT l. c. (g) MUSSCHENBR.  
l. c. (h) J. NEWTONI Phil. Nat. Prin. Mathem. T. I.  
p. 56. 57. C. F. M. DECHALES Curs. f. Mund. Mathem.  
T. II. p. 234. 235. J. LILIANDER Aphoril. Phys. Präf.  
Maxime Rev. & Celeb. D. D. & Prof. J. GADOLIN,  
KRÜGER l. c. p. 120. 121.

## § VI.

**P**ræter alios, qui *inertiam ex gravitate deduxerunt*, haud ita pridem GORDON neque rationem neque experimenta ullam distinctionem inter *inertiam & gravitatem evincere opinatus est.* (a) Verum sine ratione eum hoc dixisse existimamus. Nam secundum *inertiam* corpus cuicunque status sui mutationi resistit. Sive enim quiescat, & a vi quadam sollicitetur ad motum in quacunque directione, contra eam resistentiam exserit pro ratione quantitatis materiæ suæ & gradus celeritatis: sive in motu sit constitutum; & aut a vi contraria vel lateralí motus hic turbetur, huic quoque eodem modo resistit; aut celeriorem motum vis aliqua in eadem directione eidem conciliare conetur, eundem excitat effectum. Unde simul patet, HOLLMANNUM gratis asterere, *corpus ad quietem magis quam ad motum propendere.* (b) Quum igitur *inertia æqualiter in corpore tam quiescente quam moto versus omnes directiones, quibus hoc cum altero quodam conflictari possit, exerceatur, gravitas autem nonnisi unicam sequatur directionem, sine fundamento omnino contendit GORDON inertiam non esse a gravitate distinctam.* Hujus sententia falsitas clarius patescet ex exemplo sequenti ubivis obvio. Si enim duæ naves inæquales in eodem flumine quiescentes libere sibi committantur, majus tempus transire deprehenditur, priusquam eandem celeritatem, qua fluit aqua, ac qui-

quirat major, quam minor: (c) quod contra e-  
venire deberet secundum ejus hypothesin. Aliun-  
de ergo petendam esse rationem hujus phæno-  
ni quivis haud ægre perspicit. Quod autem iner-  
tia proportionalis sit quantitati materiae, & pondus  
corporum, ut mox videbimus, quoque eandem ser-  
vet rationem, inde non sequitur, entia absque ne-  
cessitate multiplicari, quemadmodum ille loquitur,  
affirmare inertiam & gravitatem esse vires distin-  
ctas. Annititur quidem GORDON, seposita saltim  
ad tempus vi inertiae, resistentiam inde ortam ex-  
plicare per solam gravitatem; quo vero successu,  
vel ex hoc ejus ratiocinio apparet. Per solam gra-  
vitatem, inquit, corpus moveri deorsum, aut si qui-  
escat, saltim deorsum tendit. Ob hanc itaque motus  
sui determinationem naturalem alii motui corpus non  
obtemperabit, quamdiu motus hic illam determinationem  
non superata. Recte igitur, ait, huic motui corpus re-  
sistere dicitur ob solam gravitatem. (d) Verum fa-  
cilius ad hoc erit responsio. Quum gravitatis de-  
terminatio naturalis sit moveri deorsum, corpus  
tantum illi motui resisteret, qui huic aliquo modo  
esset contrarius, hæcque resistentia fore varia,  
pro varia motus illius directione. Adeoque si cor-  
pus ad motum concitaretur directe contra gravita-  
tis directionem, esset resistentia illa maxima, mi-  
nor vero, si motus ei induceretur in alia direc-  
tione. Et ponamus grave secundum determinationem  
sui naturalem esse in motu constitutum, & corpus  
aliud celerius motum in id impingere, tum ex sen-  
ten-

tentia ejus sequeretur, grave huic motui non resisteat, quippe qui gravitatis directionem non turbet. Quam parum vero haec convenienter experientia, neminem fugere potest. Deinde in NEWTONI aliorumque experimentis, quibus inertia probari solet, nihil occursere perhibet, quod per solam gravitatem explicari nequit. (e) Sed his diutius immorari non vacat, ut Unum solummodo experimentum, in quod animadvertisit, adhuc adducamus. Si fabulum vel quid simile imponatur afferculo bene polito, afferculusque ictu subitaneo promoteatur sinistram versus; tunc statuit eos, qui vim inertiae defendunt, afferere, fabulum dextram versus & proinde directione contraria motum, eique verum & reale motum adscribere. (f) Sed, qui inde ejusmodi conclusionem formaverit, & inertiae verum motum vel saltim tendentiam ad motum competere affirmaverit, falsam omnino notionem inertiae menti ejus obversari putamus. Nam, ut recte observat ipse GORDON, fabuli locus absolutus manet immutatus, quem tamen retinere illud cogit non gravitas, ut ille dicit, sed inertia; quia secundum illam tendit deorsum & obstaculo remoto quoque inferiora petit, ex inertia autem nullus motus, nulla tendentia ad motum resultat, nullaque potest esse actio corporis in corpus, quin iunctio quadrati, ut loquitur HERMANNUS, fiat inter corpora. (g) Unde differentia inter inertiam & gravitatem simul colligitur. Nec video, quomodo GORDON leges motus Newtonianas ex gravitate in-

inferre velit, quæ tamen ex inertia optime deducuntur. (b) Plures rationes discrepantiam inertiae & gravitatis evincentes ut taceamus.

(a) L. c. T. I. p. 42. (b) L. c. p. 74. (c) DURÆI I. c. p. 14. (d) L. c. p. 43. (e) L. c. p. 43. seqq. (f) L. c. p. 45. (g) NEWTONI Philos. Nat. princ. Math. T. I. p. 4. s. not. Diff. de vi inertia Präf. B. Episc. & Pre-Canc. J. BROWALLIO, Diff. de differentia inter inertiam & grav. Präf. Cel. D. DURÆO. (h) NEWTONI I. c. p. 20. seqq. 's GRAVESANDE I. c. p. 52. seqq.

**§ VII.**  
Ad gravitatis phænomena proprius exponenda progressuri, primo gravia omnia eadem velocitate delabi observamus. NEWTONUS enim, & post eum plures alii experti sunt, nummum aureum & plumulam, nec non alia corpora in loco aëre vacuo ex eadem altitudine simul demissa, uno eodemque tempore vel una ad fundum pervenisse. (a) Corpora quoque magna & ponderosa in aëre per æqualia intervalla decidentia eodem temporis momento pavimentum attigisse compertum est, modo altitudines sint mediocres, monente HUGENIO. (b) Corporum vi gravitatis descendentium motum esse æque velocem jam EPICURUM & LUCRETIUM suspicatos fuisse perhibetur. (c) GALILÆUS etiam ex experimentis institutis cum auro, plumbō, cupro, marmore & globo ex cera confecto ex altitudine

100 ulm. in aëre demissis, idem conclusisse videatur.  
 (d) Unde prono fluit alveo, pondera corporum esse ut quantitates materiæ. Notum enim est, motuum quantitatum rationes componi ex rationibus massarum corporarum & celeritatum, & si celeritates sint æquales, momenta esse, ut quantitates materiæ; corpora autem quæcunque quæ vi gravitatis per æqualia spatia æqualibus temporibus transferantur, patet, momenta eorum esse ut massas, &, quemadmodum effectus caussis suis respondeant, pondera esse quantitatibus materiæ proportionalia. (e) Mirum itaque ARISTOTELEM quondam statuisse, celeritates a gravitate productas ponderibus esse proportionales, quum vel levis experientia hujus opinonis absurditatem diluere queat. (f) Falsum quoque esse experimentum FRIED. HOFFMANNI hinc haud difficulter intelligitur, quo se observasse refert, in globo vitro pisis & aqua repleto atque cera probe occluso, majus fuisse pondus elapsis octo diebus, quam erat ab initio, cuius falsitatem periculo facto dein etiam deprehendit KRAFFT. (g) Gravia quævis in vacuo decidua licet æquali velocitate ferantur, in aëre tamen non idem accidere semper animadversum est. DESAGULIERS enim sub machina ex vasis vitreis constructa & 15 pedes alta, numnum anglicanum Guinée & particulam chartæ suspendit. Quibus corporibus, machina adhuc aëre plena, simul dejectis, nummus fundum attigit, particula chartæ vix ad medium vasis secundi delapsa. Isdem vero, aëre  
 002

edicto, eodem tempore demissis, ambo simul ad fundum pertigerunt. (h) Similia fere in lapsu plumbi & plumæ, cupri & chartæ, aliorumque corporum in vacuo & aëre descendantium deprehenderunt NOLLET (i) aliique. HAUKSBE Londini in templo Paulino globum vitreum mercurio vivo repletum, cuius diameter  $\frac{9}{10}$  poll. continuit, pondus vero 840 gr. constitit, una cum globo suberino, cuius diameter  $2\frac{2}{10}$  poll. æquavit, pondus autem æquale fuit 120 gr., ex altitudine 220 ped. demisit: Ille 4", hic 8" solo appulsus fuit. In locum globi suberini vitreum sed aëre solum plenum substituit, globisque vitreis diversæ magnitudinis diversique ponderis exhibitis, inter alia expertus est, globum mercurii plenum, pondere 908 gr., diametr. 0,8 dig. spatiū illud absolvisse 4", aëre vero plenum, pondere 510 gr., diametr. 5,1 dig. per idem intervallum descendisse tempore 8". (k) Experimenta similia DESAGULIERS eodem in templo repetiit, variaque corpora ex altitudine 272 ped. demisit; & tum, ut cetera prætereamus, unum globum  $5\frac{1}{2}$  poll. 2610 gr. ponderans intra 6" ad pavimentum accessisse, alterum vero ejusdem diametr. ponderes  $137\frac{1}{2}$  gr., 19" indiguisse observavit. (l) RICCIOLUS quoque duo genera globorum sibi præparavit, duodecim ex argilla, & duodecim ex compressa argillacea que testa superinducta charta ejusdem magnitudinis. Pondus singulorum, qui ex argilla coagmentati erant, 20 unc. complexum est, pondusque reliquorum decem.

Duos continuo utriusque generis ex turri 312 ped.  
alta per 280 pedes simul demisit. Gravior terram  
attigit, leviore adhuc 15 ped. ab eo in aere di-  
stante. Idemque in singulis lapsibus evenit. (m)  
Non igitur recte se habere videtur experimentum  
**FRENICLE**, quo globum plumbeum & ligneum,  
æqualis voluminis & ex altitudine 147 ped. simul  
demissos, eodem temporis momento laminam cu-  
pream subjectam feruisse contendit. (n) Rationem  
diversitatis illius in lapsu gravium observatae in ae-  
ris resistentia quærendam esse quis non videt? Nam  
corpora ejusdem voluminis, ejusdem ponderis &  
figuræ per aërem æquali velocitate ferri, cuiuscun-  
que demum generis illa fuerint, expertus etiam est  
**NEWTONUS**. Comparavit enim sibi duas pixides  
lignreas æquales, e filis æqualibus, 11 ped. longis  
pendulas, quarum unam oneravit auro, alteram  
autem ligno, ita ut onustæ pixides quoad pondus,  
figuram & aëris resistentiam essent pares, tum pa-  
ribus oscillationibus eas juxta positas ire una &  
redire diutissime animadvertisit. (o) Cujus rei pe-  
riculum se quoque fecisse dicit **GORDON**. (p)  
Quodsi pixides pondere inæquali onerentur, mox  
fieri oscillationes inæquales, gravioremque levio-  
rem prævertere deprehensum est. (q)

(a) MUSSCHENBR. Addit. ad Tent. cit. P. II. p. 121. 122.  
's GRAVESAND. Phys. Elem. Math. T. I. p. 19. WOL-  
FII Muschliche Versuche n. T. II. p. 18. seqq. TRIE-  
VALD. Föreläsf. öfver nra Naturf. T. I. p. 72. 73.  
KRAFFT I. c. p. 91. KRÜGER I. c. p. 47. 149. 150.  
(b)

- (b) WOLFII Element. Math. Univ. T. I. p. 555. (c)  
 KRAFFT I. c. p. 91. MUSSCHENBR. Naturf. p. 86.  
 (d) MUSSCHENBR. I. c. (e) Conf. 's GRAVESAND.  
 Philos. Newton. Inst. p. 25. (f) DECHALES I. c. p. 281.  
 KRAFFT I. c. p. 92. (g) L. c. p. 103. (h) WOLFII Nüch-  
 liche Versuche &c. T. II. p. 23. 24. WINCKLERI Inst.  
 Phil. Wolf. p. 441. 442. (i) L. c. p. 499. seqq. (k)  
 WOLFII I. c. p. 14. seqq. WINCKL. I. c. p. 439. &  
 Inst. Math. Phys. p. 196. 197. NEWTONI Phil. Nat.  
 Princ. Math. T. II. p. 331. seqq. DERHAM. Physico-  
 Theol. p. 51. MUSSCHENBR. Addit. ad Tent. c.  
 P. II. p. 118. 119. (l) GORDON I. c. T. I. p. 105. 106.  
 WOLFII I. c. p. 16. seqq. WINCKLER. Inst. Ph. W.  
 p. 440. NEWTON I. c. p. 334. seqq. MUSSCHENBR.  
 I. c. p. 119. seqq. (m) WOLFII I. c. p. 10. seqq.  
 WINCKL. Inst. M. Phys. p. 196. (n) MUSSCHENBR.  
 Naturf. p. 88. (o) Opusc. Math. &c. T. II. p. 19. (p)  
 L. c. p. 106. 107. (q) GORDON I. c.

## §. VIII.

Corporis gravis e majori altitudine delaben-  
 tis majorem esse vim celeritatemque, quam e mini-  
 ori, vulgari experientia notum est. Globus nam-  
 que metallicus, quo altius decidit, eo majori soni-  
 tu ad subiectum corpus alliditur, & eo magis etiam  
 tum globus ex molli materia confectus complana-  
 tur. Si in cistam terra molli æqualiter ubique re-  
 pletam, ad 2 circiter digitorum altitudinem, demitta-  
 tur globus metallicus ex altitudine duorum vel plu-  
 rium pedum, globus terram mollem attingens fo-  
 veam eidem imprimat, in aliun vero cistæ locum  
 glo-

globus idem vel alius ejusdem molis & ponderis ex altitudine majori decidens foveam priori profundorem in eadem constituit. (a) Tempus, quod corpus aliquod ex altitudine quadam descendens motui huic impedit, si notetur, duplo tamen tempore id non indigere ex altitudine dupla demissum, priusquam ad terram perveniat, repertum est. (b) Ex quibus facile colligi potest motum gravium accelerari. Postquam vero in motum eorum penitus inquisiverant indefessi Physices cultores, etjam deprehenderunt, seclusa scil. medii resistentia, ea descendere motu aequabiliter vel uniformiter accelerato. Per hunc intelligitur ejusmodi motus, qui temporibus æquilibus æqualia continuo capit celeritatis incrementa. Spatia autem a mobilibus motu aequabiliter accelerato percursa, esse in duplicata ratione temporum evidenter demonstrant Physici. Sit enim ABC triangulum aliquod rectangulum (Fig. I.). Repræsentetur tempus, quo corpus aliquod movetur, per latus AB, & dividatur AB in partes æquales Ad, de, ef &c. quæ igitur partes æquales temporis, sed admodum exiguae & infinite parvas, designant. Dein ducantur lineæ di, ek, fl &c. basi BC parallelæ. Ex principiis Geometricis jam constat, triangula Adi, Aek, Af<sub>l</sub> &c. esse inter se similia; quare cum Ad sit dupla Ad. ek quoque erit dupla di, & quia Af<sub>l</sub> sit tripla Ad, erit fl etjam tripla di & sic porro. Quoniam itaque in motu aequabiliter accelerato tempora sunt ut celeritates iis acquisitæ, lineæ di, ek, fl &c. denotare possunt celeritates

tes temporibus  $Ad$ ,  $Ae$ ,  $Af$  &c. acquisitas, &  $ok$ ,  $pl$ ,  
 $qm$  &c. celeritatis incrementa. In tempusculo autem  
infinite parvo quum velocitas uniformis censeri possit,  
celeritas e. g.  $bn$  non differet a celeritate  $gm$ . Sed  
spatia in motu æquabili percursa considerari queunt  
ut rectangula facta ex temporibus in celeritates du-  
ctis, hinc trapezium  $ghm$  exhibebit spatiolum tem-  
pusculo  $gb$  descriptum, & quemadmodum tempus  $Ab$   
concipiatur in tempuscula ejusmodi innumera æqua-  
lia  $gb$  divisum, triangulum itaque  $Ahn$  considerari  
potest ut compositum ex ejusmodi spatiolis tem-  
pusculis  $Ad$ ,  $de$  &c. respondentibus. quod ergo re-  
præsentabit spatium tempore  $Ab$  absolutum. Simili-  
ter designabit triangul. ABC spatium tempore AB  
confectum. Geometria vero docet triangula similia  
inter se esse in duplicata ratione laterum homologo-  
rum, quare triangula  $Ahn$  & ABC etiam in eadem  
ratione erunt, nimirum ut quadrata laterum  $Ab$  &  
 $AB$ ; sed his exprimi tempora diximus, ipsis trian-  
gulis autem spatia temporibus istis percursa; spatia  
ergo a mobilibus motu æquabiliter accelerato de-  
scripta sunt ut quadrata temporum, quibus percur-  
runtur. Adeoque si tempora sint ut 1, 2, 3, 4, &c.  
erunt spatia iis percursa ut 1, 4, 9, 16 &c. unde  
facile etiam liquet tempora esse ut radices qua-  
dratas spatiorum. Quia  $bn$  & BC designant celeri-  
tates temporibus  $Ab$  &  $AB$  acquisitas, patet spatia  
dicta quoque in duplicata ratione celeritatum esse, &  
celeritates ut radices quadratas spatiorum. Ex his  
similis conspicitur, spatia corporum motu uniformi-

ter accelerato motorum crescere secundum numeros impares, 3, 5, 7 &c. Nam trapezium *deki* resolvi potest in tria triangula æqualia, quorum unum quodque etiam est æquale triang. *Adi*, trapezium *eflk* in quinque, similiter trap. *f g m l* in septem, & sic porro. (c) GALILÆUS primus jam erat, qui experiundo detexit, gravia descendere motu æquabiliter accelerato. Ille enim, in tabula lignea duos circiter cubitos longa, canalem excavavit uno digito paullo latiore, agglutinata intus membrana, ne scabrities pilæ æneæ bene politæ per canalem dein demissæ remoram ficeret. Eam postea supra planum horizontale uno, duobus & pluribus cubitis successive elevavit, & tempus, in quo pila per canalem descendebat, accurate dimetriens, iteratis vel centies experimentis edocetus est, spatia decursa esse ut quadrata temporum. Eadem expertus est RICCIOLUS cum GRIMALDO, usus globis cretaceis ejusdem molis, pondere 8 unc., quos ex diversarum turri aut ædium fenestris demisit, tempus descensus vibrationibus perpendiculari dimensus. (d) ROB. HOOK hanc rem alio modo experimentando investigare tentavit, adhibuitque eum in finem singulare quoddam instrumentum, quo globus decidens in unum brachium libræ impingeret, & pondus altero brachio appensum moveret. (e) Verum ipse demum fatebatur se finem haud bene assecutum fuisse. Gravia cadendo legem dictam, ceteris paribus, servare, experimentis dein HUGENII, HALLEYI, NOLLET plurimumque ita comprobatum est, ut nullum magis hac

hac de re moveri possit dubium. (f) Quum itaque secundum HUGENII & NEWTONI experimenta, grave in viciniis terræ descendat uno minuto secundo 16 ped. Sv. circiter, (g) altero igitur absolvet 48 ped., tertio 80 ped. &c. adeoque intra duo minuta secunda 64 ped., intra tria, 144 ped. &c. conficiet. Tantamina DECHALES experimentis GALILÆI aliorumque non quidem satis convenire videntur. Ille enim comperit grave uno minuto semisecundo descensu suo percurrisse  $4\frac{1}{4}$  ped., duobus  $16\frac{1}{2}$ , tribus 36, quatuor 60, quinque 90, sex 123 ped., (h) quum tamen secundum experimenta GALILÆI & RICCIOLI absolvere debuisset duobus semisec. min., 17 ped., tribus,  $38\frac{1}{4}$ , quatvor, 68, quinque,  $106\frac{1}{4}$  & sex, 153 ped.; differentia itaque duorum momentorum  $\frac{1}{2}$  ped. æquat, trium  $2\frac{1}{4}$ , quatuor 8, quinque  $16\frac{1}{4}$ , sex 30 ped. Verum quemadmodum DECHALES usus est lapidibus, qui pro quantitate materiæ magnam superficiem habent, diversitas illa omnino tribuenda est resistentiæ aëris, quod etjam ipse agnovisse dicitur. (i) Gravium enim in aëre delapsorum motum retardari §. VII. vidimus, & theoriam eximiae subtilitatis condidit NEWTONUS, in qua demonstravit, corpora in aëre nec non in aliis fluidis delata a viribus gravitatis non accelerari perpetuo, sed ad aliquem velocitatis gradum deduci, qui maximus erit, & quem quum adepta erunt, æquabili motu moveri, ostendirique, quomodo velocitas maxima determinari possit. (k) Ut adhuc verbo moneamus de viribus gravium decidentium, observamus, eas esse

In ratione composita massarum & altitudinum, adeo-  
que si illæ sint æquales, ut altitudines, & positis his  
æqualibus, ut massas. Nam si globus quidam metal-  
licus demittatur in cistam terra molli æqualiter re-  
pleteam ex altitudine data, foveam eidem imprimit:  
idem demissus ex altitudine dupla vestigium relinquit  
duplo profundius, ex altitudine tripla descendens ad  
triplo spatiū penetrat in terram. Et si ex eodem  
metalio fiat globus concavus paris diametri cum præ-  
cedente, ita ut pondus globi concavi sit duplo vel  
triplo minus pondere solidi. Demittatur uteisque glo-  
bus ex altitudine ponderibus inverse proportionali;  
globus uteisque sic demissus æqualem in terra molli  
foveam formare observatum est. (l) Varia ex his, ut  
& ex antecedentibus deduci & demonstrari quidem  
possent theorematā nec non problemata, sed ea tem-  
poris angustia pressi, alii occasione reservare cogimur.

(n) NOLLET L. c. p. 523. 524. GORDON T. I. p. 107.

(b) WOLFII Nützlich. Vers. T. II. p. 2. (c) Conf.

NEWTONI Phil. nat. Princ. Math. T. I. p. 22. not. 27. seqq.

's GRAVESAND. Phil. New. Inst. p. 58. 59. MUS-

SCHENBR. Naturk. p. 95. HAMBERGER I. c. p. 582.

seqq. PALMQUIST I. c. p. 204. seqq. WINCKL. Inst.

Math. Ph. p. 190. 191. (d) WOLFII El. M. Un. T. I.

p. 551. Nützliche Vers. T. II. p. 5. seqq. WINCKL.

I. c. p. 192. seqq. & Inst. Wolf. Ph. p. 429. 430. (e)

WOLFII I. c. p. 7. 8. 's GRAVESAND Phys. El. Math.

p. 39. (f) WOLFII I. c. p. 26. 27. NOLLET I. c. p.

527. seqq. (g) DURÆI I. c. p. 33. (b) I. c. p. 264.

275. (i) WOLFII I. c. p. 8. seqq. WINCKL. Inst.

M. Ph.

M. Ph. p. 194. seqq. & L. st. Ph. Wolf. p. 430. seqq.  
 (1) NEWTON l. c. T. II. p. 316. seqq. MUSSCHEN-  
 BROEK Addit. ad Tent. cit. P. II. p. 118. (1) HAM-  
 BERGER. l. c. p. 584. 585. KRÜGER l. c. p. 139. seqq.  
 GORDON l. c. p. 108. MUSSCHENBR. Naturf. p.  
 96. NOLLET l. c. p. 525.

## §. IX.

De *gravitate* porro notamus, eam non esse ean-  
 dem ubique terrarum, sed minorem *sub æquatore &*  
*locis ei propioribus, majorem vero sub regionibus ad*  
*polos sitis iisque vicinioribus.* Observavit enim pri-  
 mus RICHER, itinere in insulam Cayennæ, quæ ab  
 æquatore 5 fere gradibus distat, facto, horologium  
 suum pendulo instructum tardius moveri, quam Pa-  
 risiis, illudque ibi absolvisse 148 oscillationes paucio-  
 res spatio 24 horarum quam h. c. Quare pendulum,  
 cuius longitudo continebat ped. 3, lin.  $8\frac{3}{5}$ , ei dimi-  
 nuendum erat  $1\frac{1}{4}$  lin., ut minuto secundo oscillatio-  
 nem perficeret, quemadmodum Parisiis. HALLEYUS  
 quoque animadvertis, horologium suum oscillatorium  
 longiores nectere moras in insula St. Helenæ quam  
 Londini, ideoque pendulum brevius reddere coactus  
 $1\frac{1}{2}$  lin. Eadem experti sunt VARINUS, DES HAYES,  
 COUPLET, FEUVILLE, BOUGNER aliique, pen-  
 dulum scil. esse abbreviadum, quo propius ad lo-  
 ca æquatori proprius adjacentia accedatur. (a) MAU-  
 PERTUIS vero, nec non CELSIUS deprehenderunt  
 in itinere suo Lapponico, longitudinem penduli esse

augendam in locis polo propioribus. Nam pendulum, quod Parisiis erat 440,57 lin., in Pello Lapponiae longitudinem 441, 17 lin. postulabat, quia ibi vibrationes 86217, 5. peregisse dicitur, eo tempore, quo Parisiis tantum absolvit 86158, 4. (b) Caussam hujus penduli motus tardioris vel celerioris a minori vel majori actione gravitatis arcessendam esse uno tere ore contendunt Physici. Tanquam notum supponimus, pendulorum motum pendere a vi gravitatis, & pendula majoris longitudinis in similes arcus excurrentia tardius moveri, quam quæ minori longitudine gaudent. Quum jam pendula in horologii oscillatoriis moveantur in Cycloide, tempora autem oscillationis in cycloide sunt ad tempora casus verticalis per diametrum circuli generatoris, ut peripheria circuli ad diametrum, ut demonstrant Mathematici; patet itaque, si vibratio ejusdem penduli sit tardior, descensum quoque gravium perpendiculari tardiorem evadere, & si illa celerior redditur, hunc quoque celeriorem esse. Hinc ulterius conetur, in primo casu minus spatium eodem tempore conficere gravia, majus vero in altero, quare actio gravitatis in illo minor, in hoc autem major sit oportet. Ex quibus ergo liquet, vim gravitatis esse minorem in locis versus æquatorem & majorem versus polos. (c) Constat quidem PICARDUM obseruisse, virgam ferream, tempore hyberno gelu fæiente, unum pedem longam ad ignem calefactam, quarta parte lineæ prolongari, nec non DE LA HIRE deprehendisse, virgam ferream, quæ hieme fuerat sex pedum

dum, soli æstivo expositam,  $\frac{2}{3}$  liti. factam fuisse longioriem, unde hic mutationem penduli majori prope æquatorem calori tribuisse fertur. (d) Sed, quamvis negare non audeamus, calorem majorem ibi existentem mutationem quandam eidem conciliaisse, concedere tamen minime possumus inde quoad omnia eam esse derivandam. Nam ut alia, quæ huic obverti possent, prætereamus, monuerunt NEWTONUS & BERNOULLIUS, calorem quidem solis æstivi majorem esse calore externarum partium corporis humani, virgam tamē penduli in horologio oscillatorio similem gradum non concipere. (e) Decrementum gravitatis sub æquatore & locis ei vicinioribus motui terræ diurno circa axem adscribi solet. Nam, positâ figura ejus sphærica, & quemadmodum circulus æquatoris major est circulis eidem parallelis, hi vero versus polos continuo decrescunt, corpora in circulis illis majoribus mota itaque majori celeritate ferri necesse est, majoremque ibi esse vim centrifugam, quæ nisum eorum ad centrum immisnuit. Præterea sub æquatore vis centrifuga e diametro opposita est vi gravitatis, in regionibus autem ab æquatore remotis non item, & quo magis ab æquatore receditur, eo minus ea est eidem contraria. Unde apparet, actionem gravitatis quoque esse diversam in diversis latitudinibus, deprehensumque est, decrementum ejusdem esse proportionale quadrato cosinus datæ latitudinis. Sif enim ABCD (Fig. II.) peripheria telluris, DB ejus axis & AC æquator. Ponamus corpus aliquod grave existere in A, AE

ex-

exprimere vim centrifugam sub æquatore, AF directionem gravitatis; huic itaque illam esse directe & totam contrariam quilibet sine difficultate videbit. Sit etiam grave aliquod in G in latitudine AG, directio gravitatis GF, & designet GH parallela AE, producto scilic. radio GI circuli paralleli in directum, vim centrifugam sub dicta latitudine, nemo non perspicet eam totam gravitati non esse oppositam. Quærenda igitur est illa pars ejus, quæ directe contra vim gravitatis agit, quæ vero reperitur, resoluta GH in duas vires alias HK & GK, quarum GK directioni gravitatis directe est contraria, HK autem eidem ad perpendiculum insistens, adeoque gravitatis actionem non turbans. Demonstratur vero jam a Physicis AF esse ad GI ut AE ad GH, quare  $GH = \frac{GI \times AE}{AF}$ , & quia triangula FGI & HGK, sunt similia, erit  $FG = AF : GH$  ut  $GI : GK$ , adeoque  $GK = \frac{GH \times GI}{AF}$ . Sed modo obtinimus  $GH = \frac{GI \times AE}{AF}$ , quare  $GK = \frac{AE \times GI^2}{AF^2}$ . GK autem est pars illa vis centrifugæ sub latitudine AG, quæ gravitatis actionem minuit, quæ itaque est  $= \frac{AE \times GI^2}{AF^2}$ . Hinc quia AE & AF sunt constantes, & GI cosinus datae latitudinis, patet, decrementum gravitatis in data latitudine esse proportionale  $GI^2$ . (f) Unde sequitur gravitatem minimam esse sub æquatore, maximam vero

vero, quæ etiam *pura* vocari solet, sub polis. Hæ gravitates secundum quorundam calculum sunt inter se ut 201,5 ad 202,5. (g) Mox videbimus gravitatem quoque decrescere pro ratione quadratorum distantiarum a centro telluris reciproce, quare, quemadmodum diameter æquatoris sit ad axem ut 178 ad 177, vel ut 174 ad 173, prout §. II. memoravimus, non potest non etiam quoad partem diminutio gravitatis sub æquatore ex majori corporum distantia a centro deduci.

(a) Vid. G. W. Acad. H. f. A. 1750. p. 8. WOLFII Elem. Math. T. II. p. 488. MUSSCHENBR. Naturk. p. 90. GORDON I. c. T. I. p. 120 121. WINCKL. Inst. Math. Ph. p. 203. 204. aliosque. (b) MUSSCENBR. I. c. HAMBERGER. I. c. p. 529. 530. G. W. Acad. H. f. A. 1744. p. 41. seqq. (c) WOLFII I. c. T. I. p. 599. (d) WINCKL. I. c. (e) WOLFII I. c. T. II. p. 489. (f) Conf. KRAFFT I. c. p. 105. 106. MUS- SCHENBR. I. c. p. 91. (g) GRAVESANDE Phil. Newton. Inst. p. 554.

### §. X.

Præter hanc diminutionem *gravitatis*, cuius §. præcedenti fecimus mentionem, datur adhuc alia, qua *eam* decrescere novimus, auctis distantias a centro telluris, ut quadrata distantiarum a centro inverse, quam legem Summus NEWTONUS deduxit ex gravitate lunæ versus terram. Per experientiam notum est, planetas motus suos in lineis curvis

vis absolvere, & neminem in physicis vel leviter  
 versatum fugere potest, nullum corpus in linea  
 curva incedere posse, una vi in id agente, sed re-  
 quiri omnino duas vires ad motum ejusmodi cur-  
 vilineum producendum. Apud omnes fere in con-  
 fesso est, planetas sic dictos primarios solem pro-  
 motuum suorum centro agnoscere, secundarios ve-  
 ro circa suos primarios ferri. Variis observationi-  
 bus inter se collatis primus detexit KEPLERUS,  
 motus planetarum circa solem non fieri in orbitis  
 perfecte circularibus solem in centro habentibus,  
 sed in ellipsis, in quārum uno foco sol sit posi-  
 tus. Deprehendit quoque velocitatem planetarum  
 in orbitis istis ellipticis non esse æquabilem, sed  
 ab aphelio ad perihelium accelerari, in opposita  
 vero anomaliæ parte retardari, ea lege, ut linea  
 recta, quæ a centro solis ad centrum planetæ du-  
 ci & una cum planeta circa solem ferri concipi-  
 tur, verrat areas seu sectores temporibus propor-  
 tionales. Invenit etiam quadrata temporum perio-  
 dicorum planetarum esse in ratione triplicata di-  
 stantiarum a sole. Has leges satellites Jovis & Sa-  
 turni in motibus suis periodicis observare quoque  
 animadvertisit. Hinc NEWTONUS collegit & de-  
 monstravit, corpus, quod dicta ratione movetur,  
 continuo impelli vi ad centrum illud fixum ten-  
 dente, quam ideo *centripetam* appellavit, ita ut,  
 nisi impediret vis centrifuga a motu revolutionis  
 oriunda, ad centrum illud omnino esset decisum,  
 haud aliter ac corpora terrestria in sublime

ele-

elevata vi gravitatis terram petere solent, quam primum sibi libere permittuntur. Unde itaque conclusit, vim illam, qua planetæ in orbitis suis retinentur, versus centrum solis tendere ac dirigi. Demonstravit etiam vim nominatam non in omni a sole distantia esse eandem, sed auctis distantiis decrescere in earum ratione duplicata reciproce. Motum lunæ circa terram quoque regi ejusmodi vi ad centrum ejus tendente eadem sagacitate ostendit, & exploravit vir incomparabilis, quanta hæc vis in luna sit, eamque inventam ejusdem indolis cum gravitate corporum in viciniis terræ decidentium esse firmiter contendit. (a) Indagabimus etiam nos, quantum luna uno minuto primo descendat, & comparationem dein instituemus inter descensum gravium eodem tempore in confiniis terræ. Sit ABHD (Fig. III.) orbita lunæ, quam circularem supponamus. Sit C terra, & luna in A. Distantia ejus media a centro terræ est secundum KEP-  
LERUM, BULLIALDUM, HEVELIUM aliasque, 59, FLAMSTEDIUM,  $59\frac{1}{2}$ , VENDELINUM, 60, COPERCNICUM,  $60\frac{1}{2}$ , KIRCHERUM,  $62\frac{1}{2}$ , TY-  
CHONEM,  $56\frac{1}{2}$  semidiametrorum terrestrium, (b)  
aliis aliam rationem assignantibus. Assumamus cum NEWTONO distantiam mediocrem 60 semidiamet-  
trorum. Semidiometer æquatoris terræ constitui-  
tur 3590868 hexaped. Svec. & axis 3570706 hexap.,  
(c) ex quibus medium fit 3580787 hex., unde di-  
stantia lunæ a terra, quæ CA exprimitur, evadit  
214847220 hex., adeoque diameter AH orbitæ e-

jus = 429694440 hex. & ipsa orbita = 1349240541<sup>4</sup>  
 hex., quas lunam percurrere vulgo poni solet 27  
 d. 7 h. & 43 m. Hinc invenitur eam uno minu-  
 to primo absolvere 205764 ped. circiter, quod spa-  
 tium designet arcus AF, qui admodum exiguus pot-  
 est concipi, vix enim est centesima pars unius gradus.  
 Sit AE tangens orbitæ, per quam luna progrederetur,  
 si vis, qua in orbita sua retinetur, cessaret in A; EF  
 itaque denotat vim illam, quæ lunam uno minuto pri-  
 mo urget versus terram, vel spatium, quod luna a vi  
 centrifuga liberata dicto tempore conficeret. Ducta  
 FG ad perpendicularm insistens AC, tum AG consi-  
 derari potest = EF ob exiguam & parvam distanti-  
 am earum a se invicem. AG autem sic investi-  
 ganda. Nam quia arcus AF est valde exiguus &  
 ideo pro ipsius subtensa usurpari potest, hinc ut AH  
 ad AF, ita AF ad suum sinum versus AG, qui ita-  
 que est = 16 ped. quam proxime. §. vero VIII, vi-  
 dimus corpus in confiniis terræ vi gravitatis de-  
 scendere 16 ped. uno minut. secundo, quare, quoniam  
 gravium motus acceleratur & spatia eorum diver-  
 lis temporibus decidentium sunt ut quadrata tem-  
 porum, quibus percurruntur, spatium, quod grave  
 describit uno min. prim. in viciniis telluris, est = 16  
 × 60 × 60 = 57600 ped. Nuper autem posuimus di-  
 stantiam medium lunæ a terra esse = 60 ejus semi-  
 diametr., cuius quadratum ergo est = 60 × 60 = 3600,  
 & quum 16 ped., quos luna percurrit uno minut.  
 prim., se habeant ad 57600 ped., qui absolvuntur a  
 gravi eodem tempore circa superficiem terræ, ut

$1 \times 1 = 1$  ad  $60 \times 60 = 3600$ , patet, vim centripe-  
 tam lunæ sive ejus gravitatem versus terram esse  
 ad gravitatem corporum terrestrium ad superfi-  
 ciem ejus, ut quadratum distantiae lunæ a centro  
 telluris ad quadratum distantiae horum ab eodem  
 centro reciproce. Unde perspicuum esse videtur  
 gravitatem decrescere in ratione duplicita distan-  
 tiarum a centro inverse. (d) Non quidem de-  
 sunt, qui hanc legem gravitatis a priori etiam de-  
 monstrare annisi sunt, ut KEILLIUS, MUSSCHEN-  
 BROEKIUS, KRAFFT nec non alii; sed quemad-  
 modum causa gravitatis & modus, quo illa in  
 corpora agit, minime nobis sit perspectus, nullam  
 itaque vim convincendi habere existimamus illam  
 a priori probandi rationem, ut pro more suo e-  
 gregie monuit Perillustr. D. KLINGENSTIERNA.  
 (e) Ex observationibus CONDAMINE quoque el-  
 lucet, actionem gravitatis in distantia a centro tel-  
 luris majori, esse minorem, quam in minori. Is  
 enim expertus est in America, pendulum ejusdem  
 constanter longitudinis tempore 25 hor. in urbe  
 Quito 98740 & in ripa fluminis Amazonum 98770  
 oscillationes absolvisse, in monte autem vicino Pi-  
 chinca 75 hexap. altitud. 98720. (f) Verum his  
 leviter & festinanti nec non infirmo calamo ex-  
 aratis subsistere nobis jam imponit angustia tempo-  
 ris, quæ nos a proposita tela ulterius pertexenda pro-  
 hibuit; obsecramus itaque, ut C. L. hæc allata in  
 meliorem interpreteris partem, reliqua quæ supersunt  
 alia occasione D. V. persecuturi.

(e) NEW-

Fig. I.




Fig. II.





Fig. III.



- (a) NEWTONI Opusc. Math. T. II. p. 5. seqq. & Phil. Nat. Princ. Math. T. I. p. 89. seqq. S. W. Acad. H. f. Å. 1754. p. 84. seqq. Diff. de gravitate lunæ Praef. Nob. D. KLINGENSTIERNA. (b) NEWTONI Op. Math. T. II. p. 12. (c) S. W. Acad. H. f. Å. 1750. p. 94. (d) Conf. NEWTON. I. c. 's GRAVESANDE I. c. p. 495. 496. KRAFFT I. c. p. 109. 110. NOLLET I. c. p. 512. seqq. Diff. cit. de gravit. Lunæ. (e) Annæuf. til MUSSCHENBR. I. c. p. 583. (f) KRAFFT I. c. p. 107. MUSSCHENBR. I. c. p. 93. DURÆI I. c. p. 166.

SOLI DEO GLORIA!

